IN FUNERE

AMPLISSIMI VIRI

J. B. HUZARD

RR. GALL. INSTIT. ACAD. MED. CENTR. AGRIC. SOCIET. MEMB.

VETERIN. SCHOL. GALLIC. GENERAL. INSPECT.

SALUB. PUBL. CONSIL. SOC.

HONOR. GALLIC. LEGION. AC DIV. MICHAEL. ORD. EQUIT.

REG. TAURIN. SCIENT. ACADEM. SOC.

ETC. ETC. ETC.

CARMEN

AUCTORE C. G. MANGOSIO AB ANNONO, CHIRURG. DOCT.

IN REG. VETERIN. PEDEMONT. SCHOL.

ANATOM. PATHOLOG. MEDIC. VETER. FORENS. PROFESS.

EJUSDEMQ. SCHOL. PRAEFECT.

REG. PHILOSOPH. ET LL. AA. FOSSANENS. ACADEM. SOC.

ETC. ETC.



SAVILIANI

Typographo Josepho Daniele. Superiorum permissu.

CARMEN



Dignum laude Virum musa vetat mori.
HORAT.

Ex atavis **HUZARD** medicis prognatus equorum,
De medica primum re scripta paterna revolvens,
Quisquiliis mixtas novit secernere gemmas,
Quae penitus rimatae, mentis acumine pensae
Arti nascenti mirum tribuere decorem;
Quippe ratum hoc tenuit: *verbis non flectitur ordo*
Naturae. Hinc a praestigiis constanter abhorrens,
Commentum nullum, nullum systema secutus;
Nec vacuis verbis, rebus tantummodo fretus,
Praeceptis artem solidis, et finibus auxit.
Non secus ex nostris tradunt BRUGNONE, BUNIVA;
Alter enim praeclarum Heroem Proto-Magistrum
BOURGELAT audivit prae primis ore docentem,

Cui subiit **HUZARD** fontem bibiturus ad ipsum;
Insenuitque pari genio versatus et alter.
Nil igitur mirum, unanimi si voce loquantur;
Indicium veri certum consensio trina.
Nec minus humanae didicit prodesse saluti;
Consiliis etenim, scriptis Clarissimus **HUZARD**
Noxia praecavit, nascentem Jenneris artem
Invexit, vulgi instabilis conamina vicit.
Id penes **HUZARDUM** patriae per scripta Buniva
Praestitit; inde redux cito consilioque manuque,
Quam prope divinam in Gallis acceperat artem,
Inter nostrates fudit: larvata simultas
Cum benefacta viri sensit, ceu fulmine tacta
Abdidit ipsa caput, tacitoque obmutuit ore.
Quem bene de medicis dixisti, musa, merentem,
Hunc Civem, Gallum, Procerem mediteris oportet:
Per tot Gallorum casus, discrimina rerum,
Transiit impavidus toties per tela nefanda,
Palladis invicto semper sub tegmine tutus;
Quin potius naevo non ulli obnoxius **HUZARD**
Ædes in placidum doctis convertit asylum,
Atque viris patuit sua bibliotheca receptis:
Rebus in adversis Germani, Italique fatentur,
Grato complures animo testantur alumni:
Integer urbanis praefectus edulibus adstat,

Pervigil et pecudum commercia vasta revisit,
Amovet hinc morbos, lites componit obortas;
Incorrupta fides **HUZARD** comitatur agentem:
Casibus in dubiis juris vim temperat aequo:
Ambages, fraudes, monopolia tecta revelat,
Ore gravi clamat *numquam venalia jura:*
Ex cathedra sapiens, facundus, justus in aula;
In medicis rebus numquam defessus agendo,
Legibus addictus, corde officiosus amicis,
Infensus nemini, conjux, pater, auctor amatus.
Hoc unum specimen liceat producere certum
Magni animi: vitae postremo tempore Chabert,
(In praxi medica sacrum, venerabile nomen)
Emerito subiit Rector gratissimus **HUZARD**,
Munere qui functus stipendia quaeque reliquit;
Praeterea officiis aegrum obsequioque replevit,
Ne profugae Chabert nosset tunc damna senectae:
Exemplum, juvenes, **HUZARD** propono sequendum!
An tenui Heroum musam meditabor avena?
Altisonis linguis celebrabit fama per aevum;
Gallia namque Virum bino decoravit equestri
Ordine, vel totidem patrios decrevit honores,
Quot sunt naturae studiis Collegia sacra,
Quotve Magistratus medici numerantur in urbe.
Numquid apud Gallos tantum laudabitur **HUZARD**?

Absit; namque sonat praeclarum nomen ubique,
Laudibus, et lacrymis docti quicumque parentant;
Nec postrema fuit Schola, quae Pedemontis in ora
Morborum pecudum caussas et signa docendo,
Ipsi aliquando fuit tenerae, pro tempore, curae.
Non specie tenus, aut obiter tunc temporis **HUZARD**,
Ast intus novi doctum, vere sapientem,
Impar judicium quantumlibet esse putetis.
Sed proh sors hominum! dirum, insuperabile fatum!
Attritum corpus studiis, aetate, labore
Confectum cessit, vitae cessere momenta,
Spiritus et liber generosus ad astra tetendit.
Pax **HUZARD** tibi, pax, requies sint omne per ævum,
Dum medicum coetum semper tua scripta docebunt!!!

Fossani ex aedibus R. Veterin. Scholae IX Kal. maji MDCCCXXXIX.

V. A. Morelli *R. Sch. Director.*